



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim

Innozenz <III., Papst>

Parisiis, 1682

Pisanensi Archiepiscopo.

urn:nbn:de:hbz:466:1-20020

34 Epistolarum Innocentij III.

Vide Baluzij
Notas ad Con-
cilia Gallie
Narbo, pag.
18.

runt haec tenus & adhuc etiam non veren-
tur divina officia celebrare , quamvis
propter hoc sicut excommunicationis vin-
culo innodati. Ad quod breviter respon-
demus , quod Clerici qui talia præsump-
ferunt , sunt ecclesiasticis beneficiis spo-
liandi , monachi vero vel moniales in ar-
chioribus monasteriis ad peragendam poe-
nitentiam retrndendi. Insuper postulatis
per apostolica sedis oraculum explicari
quid fieri debeat de Clericis illis qui , cum
eis à judicibus delegatis fuisset injunctum ,
cum ipsis absolutioni beneficium præsti-
terunt , ut se nostro conspectui presenta-
rent , id exequi contempserunt , & ex eis
qui præfato Archiepiscopo præstiterunt
fidelitatis & obedientiae juramentum &
illud postmodum transgredi non veren-
tes , interdicti sententiam non servarunt.
Nos igitur ad hæc taliter respondemus .
quod utriusque , tanquam perjuri , pena
canonica sunt plectendi. Datum Laterani
Id. Maij , anno decimo.

PISANENSI ARCHIEPISCOPO.

Epist. 63.
Comittitur ei
caula matris-
monialis.

BNobilis mulieris oblata nobis peti-
tio continebat quod cum jam agens
tempora pubertatis ex patris imperio
potius quam spontanea voluntate . Iu-
dicii Arboreni fuit matrimonio copulata ,
& licet ex eo unicam prolem suscepit ,
ad ipsum tamen diligendum ut virum nec
amicorum instantia nec consiliis propin-
quorum potuit animari. Cumque sic se-
cum noluntaria permaneret , intellexit
quod quando acceperat ipsum in virum ,
aliam sibi matrimonio copulatam habe-
ret. Asserebat etiam idem Index quod
quandam confobrinam hujus cognoverat
ante matrimonium cum ipsa contractum .
sicque factum est quod ad invicem diver-
terunt. Quod qualiter fuerit procuratum ,
alio modo non novit , nisi quod & tunc
credidit & nunc credit quod rationabiliter
fuerit & canonicè factum. Tandem ad
domum paternam reversa , & circa biennium
absque ulla querela innupta confi-
stens , publicè postmodum & solemniter
in facie Ecclesie nobili viro Hugo Comiti
nupsit ; cum quo per annos quatuordecim pacificè commorata , duos suscepit
filios ex eodem , quos humiliter petuit au-
toritate apostolica pronuntiari legitimos ,
pro eo quod bona fide in facie Ec-
clesie juncti fuerant vir & uxor , & mag-
no tempore absque contradictione aliqua
similiter fuerant commorati. Quocirca fra-
ternitati tuae per apostolica scripta man-

damus quatenus inquisita diligentius veri-
tate , si tibi constiterit quod præfatus Iu-
dex eo tempore quo cum præfata B. con-
traxit , aliam haberet uxorem , vel quod
ejus consanguineam antea carnaliter cog-
novisset , vel virum jam obisse priorem ,
præfatos virum & uxorem invicem re-
conciles , & facias eos mutuo semetipso
nuptiali honore ac maritali affectione tra-
ctare , sed & filios quos taliter suscepserunt
legitimos reputari. Quod si de predictis
tribus articulis nihil tibi constiterit , quia
tamen sapientia mulier præfato viro in
conspicu Ecclesie solemniter nupsit , &
similiter quatuordecim annis conjuncti tan-
quam vir & uxor absque ulla contradic-
tione bona fide manserunt , eorum filios
nihilominus facias reputari legitimos , &
ad jura paterna vocari. Datum Laterani
XVII. Kal. Iunij , anno decimo.

CONSVLIBVS ET POPVL Placentino.

IN arca fœderis cum tabulis testamen-
ti virga continebatur & manna ; quo-
niam in monte rectoris cum scientia legis
divina virga correctionis & manna dul-
cedinis debet esse , ut rigor mansuetudine
temperetur , & mansuetudo rigore. Hoc
igitur attendentes , auditis quæ venerabili
fratris noster . Episcopus & Clerici
Placentini , necnon & dilecti filii Vbertus
Vicecomes , Iohannes de Malamina , &
Petrus de Vilimercato , nuntij vestri , viri
providi & fideles , super faciendo vobis
mandato coram nobis proponere curaver-
unt , illis iustitiam , illsi misericordiam
implorantibus , illud taliter duximus tem-
perandum , ut misericordia se pariter &
iustitia complectentibus in eodem , neutra
deseratur ab altera , sed potius ipsum
sit utraque virtute conditum. Proinde
leveat vestros oculos in directum , &
attende diligenter quorsum devenerit ne-
cessaria vestrae prævaricationis offensa ;
quæ licet gravis extitisse noscatur , divino
tamen est forsan consilio procuratum ut
per illam erudiantur & qui propè sunt &
qui longè contra libertatem ecclesiastica-
m similia non præsumere , cum facinoris
vestri vos viderint salubriter penitere.
Ecce siquidem multi sunt qui obseruant
exitum hujus rei , quibus quemadmodum
facta est culpa vestrae præsumptionis in
scandalum , ita profecto fieri disciplina
vestrae poenitutinis exemplum. Atten-
tandum erat aliquando forsitan ab aliqui
bus similis luctæ certamen ; quod cum à

Epist. 64.
De conservan-
da libertate ec-
clesiastica.